

res, qui sinistram asseruerunt dextra esse honoratiorem, horum tamen intentio fuerit tolerabilior, quæ sedentem ad dextram Patris Filium, majorem habere dignitatem, non admittit. 4. Quantum aberrant utrique a simplice explicatione Patrum, priore disputatione allegatorum, qui comparatione ea Patris ad Filium non admissa, & nulla majore dignitate concessa vel Patris vel Filii, in sessione Filii ad dextram Patris, agnovere τὸ ἰσότημον, τὸ ὁμότιμον, æqualem, eandemque dignitatem?

§. 15. Tertia responsio temeraria, indigna, inepta est, *Tertia.* omni modo rejicienda, quæ allegatur, alioqui prorsus non attinenda, ut inanes phantasiæ appareant, hominum, sine omni scripturarum luce, quidvis somniantium. Pergit autem Cornelius: *An Filius Patris ad dextram, Sp. S. ad Patris, & dextram Filii non opponi loco medio Patris, sed sinistro: AD SINISTRAM?* *SINISTRAM enim est SPIRITUS SANCTUS, qui a Filio procedit.*

Quod intellige de ordine non dignitatis, sed processione, qui solus est in divinis, aut potius ad sinistram sunt sancti alii minores. Hæc prorsus sunt indigna sacrarum interprete scripturarum. Quid enim 1. æterna processio in divinis, ad hanc sessionem, in tempore factam? 2. Dixerat Cornelius: *itaque ad dextram Dei sedit homo Christus in primo instanti incarnationis suæ.* Ita vero sederit Christus Deus ab æterno ad dexteram Dei Patris per æternam generationem. 3. Quam indigna Theologo, vel scripturarum Interprete hæc est assertio: *ad sinistram enim est Spiritus Sanctus.* Quæso quis est ex omni scriptura textus, vel prætextus, qui hujus absurditatem cogitationis tegat? 4. Pro, *planius*, arbitramur ponendum fuisse, *longe absurdius.* Minor enim utriusque, quamvis absurdæ fati, absurditas fuit. Neutra earum de æterna processione, ejusque ordine, quid somniavit. 5. Ipse videt Cornelius tam absurdo conceptui non satisfacere ordinem quemcunque, vel qui dignitatis non sit, sed *processione* solius, atque adeo concesso ordine locorum ut mediæ, & dextri, & sinistri, inferri ordinem dignitatis, & ex, vel in ordine inæqualitatem, quia addit: *aut POTIUS ad sinistram sunt sancti alii minores.* Minores, utique dignitate. 6. Exuendus ergo omnis ille conceptus est, non tantum de loco medio, dextro, & sinistro; verum etiam de dextra, & sinistra; quia dextra Dei, in qua

4.

Tertia.
An Filius
Patris ad
dextram,
Sp. S. ad
Patris, &
dextram Filii
non opponi loco
medio Patris,
sed sinistro:
AD SINISTRAM?

1.

2.

3.

4.

5.

6.